



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 46. Equus phaleratus in tributum pro Regno Neapolis Pontifici oblatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

datum est initium sacro anno, cujus festiuitatem summus Pontifex ad annum Christi millesimum quadringentesimum septuagesimum quintum indixit, & imposterum semper post emensum viginti quinque annorum spatium celebrari voluit. Fidelium, qui Romam ad consequendam peccatorum veniam concurrere solent, longe major fuisset frequentia, nisi Francia, Anglia, Hispania, Hungaria, & Polonia bello flagrascent.

Sæcul. XV.  
A.C. 1474.

Ciacon. &  
Onuphr. in  
Sixto IV.  
Victorel. in  
Jubil. 7.

## §. XLVI.

*Equus phaleratus in tributum pro Regno Neapolis Pontifici oblatus.*

Inter omnes, qui Romam petebant, emi-  
nuit Ferdinandus Neapolis Rex, cui  
Pontifex suam ut demonstraret benevo-  
lentiam, annum censum Ecclesiæ Ro-  
manæ debitum remisit, ea tamen lege,  
ut ad singulos annos album offerret  
*Asturconem*, ita vocant equum album  
phaleris, ceterisque instrumentis orna-  
tum, & hunc quidem daret tributum no-  
mine, quo hujus Regni dominium Se-  
di Apostolicæ beneficiario jure proprium  
acceptasse profiteretur. Hæc solemnitas  
ad hunc usque diem celebrari solet, vo-  
caturque a Romanis *la China*, seu equi  
phalerati donatio, quem in vigilia, aut  
ipso die festo SS. Apostolorum Petri &  
Pauli

Sæcul. XV. Pauli Regis Legatus Pontifici quotannis  
A.C. 1474. offert.

*Palmerius  
in Chron.*

Nonnullorum Scriptorum opinio fuit, venisse Ferdinandum Romam sub specie quidem Jubilæi; re ipsa tamen hoc obtentu usum, ut fœdus inter Venetos, Mediolanensium Ducem, & Florentinos initum solveret. Id quoque postmodum factum fuisse constat. Ceterum ad anni sancti solemnitatem pariter Romam adiiit Catharina Bosniæ Regina quadraginta equitibus stipata, Hanc Pontifex summis honoribus excepit, eidemque omnes, quoscunque demum fecerat, sumptus liberaliter suppeditavit. Referunt Scriptores, quod hæc Regina usque ad obitum suum Romæ substiterit. Sacra etiam limina Apostolorum visitabat Rex Bosniæ & Walachiæ, licet senio confectus esset: an vero id hoc ipso jubilæi anno fecerit, ignoratur. Advenit quoque Carolina Cypri Regina. Concessit quoque Sixtus Papa idem Jubilæum Castellæ Regi, atque Reginae, aliisque Principibus Romam adire præpeditis, addita tamen conditione, ut nonnullas visitarent Ecclesias, aliaque pietatis opera ab ipso præscripta exercerent.

§. XLVII.